



† R. P. Emanuel Rasl (1876–1928).

(*Prov. Vindobonen.*)

S. Stephani Protomartyris die festo mors denuo nobis Patrem eripuit minime senem, qui ob eximia sua de Congregatione merita virtutesque praeclaras certe dignus est, qui etiam hoc loco peculiariter commemoretur: Patrem inquam Emanuele Rasl.



Natus die 5 Febr. in Simmersdorf, qui Cecoslovakiae pagus apud Iglau situs est, et absoluto quinto anno gymnasiali Congregationem ingressus, probationis Magistrum habuit R. P. Janauschek. Votis autem religiosis die 8 Sept. 1894 nuncupatis Mauternam venit, ut philosophiae et theologiae studeret. Iam novitius tantam animi maturitatem et constantiam ostenderat, et postea clericus studens adeo in sacris disciplinis profecerat, ut deficiente aliquo Patre idoneo Fr. Rasl, nondum sacerdos, iuvenatus Katzeldorfiensis Lector renunciaretur. Verum sub novi officii onere, stu-

dia theologica simul prosequens, brevi succubuit, quare non modo lecturatu se abdicare, sed etiam theologiae studia intermittere coactus est, demum anno 1902 sacerdos ordinatus. Postea, cum duce Patre Freund alterum peregisset novitiatum, per plures annos fuit Socius Magistri novitiorum, per annum etiam ut catechista in scholis publicis doctrinam christianam parvulos edocuit.

Sed multo maiora dilectae Congregationi servitia inde ab anno 1908 praestitit tanquam *Director iuvenatus Katzeldorfiensis*. Statim tum apparuit suum ei locum ibi obtigisse. In Patre Rasl nostra iuventus impleta videbat S. Scripturae praecepta: *Viriliter age* (Ios. 1, 18)! *Dilectio sine simulatione... Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (Rom. 12, 9. 15). *Quaecumque sunt vera... quaecumque iusta... haec cogitate* (Phil. 4, 8). Et his de causis Patrem Rasl omnes iuvenes magna veneratione et sincero amore prosequerantur. Oboriente aliqua difficultate in rebus sive internis sive externis, unusquisque sua sponte Patrem Directorem adibat. *Iam vero* (ut Ciceronis verbis de Pompeio dictis utamur) *ita facilis aditus ad eum privatorum, ut is qui dignitate excellit facilitate par infimis esse*



*videatur.* (1) P. Rasl in responsis et praeceptis potius aridus erat et paucis se expediebat; nihilominus auctoritatem summam ei conciliabat dictorum claritas, animi ingenuitas, agendi constantia, iustitia absoluta, praesertim vero amor sincerissimus et singularis, quo ductus quibuscumque poterat mediis iuvenatum alteram domum paternam reddere satagebat. Si quis infirmabatur, Directoris cura non videbatur habere limites. Matris instar diu noctuque lecto adstabat, ut aegrotantem solaretur et morbi molestias levaret. His in adiunctis, sui prorsus oblitus ita se totum aegrotantium servitio dicebat, ut universalem admirationem excitaret.

Exercitiorum corporalium prudenter institutorum utilitatem cum ipse expertus esset, ea inter iuvenistas quoque promovebat, nec dedignabatur P. Director puerilium ludorum ipse particeps esse. Quodsi quando — ut fieri solet — in eo erat, ut iuveniles ardores in rixas et contentiones abirent, pauca Directoris, semper sui compotis, verba satis erant ad ordinem et pacem restituendam.

Feriarum tempore P. Rasl dilectis suis iuvenistis excursions magnificientia quadam procurabat nec erubescibat apud omnes Provinciae Superiores stipem emendicare. Quodam anno natu maiores secum Katzelsdorfio Mauternam duxit, ut in domo Studentatus sacrorum ordinum collationi assistere possent; quae sacrae caeremoniae quantum animos iuvenum commoverint, facile divinari licet.

Quo ipse eximio rerum a Deo creatarum studio incensus erat, eodem et suos iuvenistas imbutos esse voluit. Praecipua vero eius cura in profectu spirituali ac scientifico subditorum posita erat. Cum studiorum quoque moderator esset, hoc munere, qua erat animi firmitate et affabilitate, egregie fungebatur. Iuvenatus Lectoribus collegam potius quam praesidem se monstrabat. In conferentiis Lectorum, quis praesset, paene ignorabatur, et cum difficultates prudenter praecaveret, pax et concordia nunquam turbabatur.

Iuvenistas studia litterarum negligentes, et multo magis eos qui pravis essent moribus, absque misericordia dimittebat. Eius conferentiis et meditationibus, licet potius ieiunis quam affectuum plenis, tamen audientes semper commovebantur; sentiebant enim absolutam dicentis sinceritatem, et videbant in Directoris vita perfectam cum eius praeceptis concordiam. Ita in Patre Rasl denuo impletum est illud: *Verba movent, exempla trahunt.*

Bello immani exorto cum multi ex eius subditis ad arma vocati essent, hi prae ceteris amoris eius viscera experti sunt. Quot militibus suis munuscula misit, quot ad eos epistolas dedit! Et ipse erat egentissimus et litteras in conclavi gelido digitis frigore rigentibus scribebat! Ex quibus

(1) *De imp. Cn. Pompei*, c. 14.



epistolis tanta animi quies, tanta in Deum fiducia, tanta ad patiendum promptitudo elucebat, ut legentes iisdem sensibus afficerentur. Patris Directoris talis nomen nulla unquam oblivio oblitterabit!

Iam ultimis huius officii annis P. Rasl e gutture laborare coepit, et malo progrediente tandem iuvenatui dilecto valedicere coactus est. Ipse, ut erat modestissimus, iam timebat, ne Congregationi amplius utilis esse non posset, verum anno 1920 a P. Provinciali electus est *Provinciae Procurator*. Mirum sane, quam cito et quam bene scientiam novo muneri necessariam sibi acquisiverit; at quantam curarum molem, quot insomnias ei officium attulerit, solus Deus novit. Ipse enim numquam querebatur, semper hilarem et fiduciae plenum se praestabat, utut sollicitudinibus obruebatur. Enarrare non possumus, quantam impenderit operam, ut domibus post bellum in penuria versantibus auxilium ferret et res Provinciae oeconomicas ordinaret. Quot epistolas, semper promptus et nulla interposita mora, scripsit! Quot itinera fecit, itinera saepe ingrata et infructuosa! Quot ad propositas quaestiones responsa, affabiliter semper et benigne, dedit. Et tamen iam aegrotabat usque ad mortem! Saepe mirabamur, ut laborum onus, multis bene valentibus iam nimis grave, sustinere posset. Quamquam ultimis vitae annis vix verbulum alta voce proferre poterat, tamen, ut omnibus satisfaceret, etiam somni nocturni partem labori dedicabat. Et huiusmodi operarium indefessum non deserebat timor, ne cuncta male, saltem non sat bene perageret! Usque ad ultimas vitae horas officii sui diligentissimus mansit.

P. Rasl erat vitae interioris amantissimus, spiritu precum repletus, et sola hac via id obtinuit, ut semper in pace quiesceret neque fiduciam amitteret.

Interim gutturis morbus, tametsi peritissimorum medicorum manus pluries incisionem fecerant, ingravescebat. Die 15 Decembris denuo operatio chirurgica facta; verum ars humana nihil iam valebat. Carzinoma magnam colli arteriam invaserat; quae cum festo S. Stephani se aperuisset, mors citissimo gradu advenit. Die igitur 26 Decembris 1928 (si S. Augustini verba argumento nostro appropriare licet) Patrem Emanuele Rasl « post consummationem laborum et devictum triumphatumque mundum, in perpetuas aeternitates praesens haec vita parturiit » (1), et die 29 Dec. id quod in hoc confratre optimo amantissimoque mortale erat terrae demandatum est, gloriose olim, uti firmissime speramus, resurrecturum.

R. I. P.

(1) Sermo 20 de Sanctis, de S. Iohanne Bapt.